

ANTONII

AVGVSTINI

ARCHIEPISCOPI

TARRACONENSIS

IVRIS VETERIS DOCTORIS, ET

vindicis clarissimi, nobilissimique olim Sacri Palatii
Apostolici Auditoris

IVRIS PONTIFICII

Veteris Epitome.

IN TRES PARTES DIVISA.

De Personis, de Rebus, & de Iudiciis.

ACCESSERVNT HVIC EDITIONI CANONES

Pœnitentiales eiusdem Auctoris.



*Don Juan Antonio de
Ostalaro Guzman*

PARISIIS.

MICHAELIS SOLY, sub signo Phœnicis.

MATTHEI GVILLEMOT, sub signo Bibliothecæ.

GERVAIII ALLIOT, in Palatio, iuxta Sacellum D. Michaelis.

Sumptibus

Via Isaac

M. D. C. XLI.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.





DE AVCTORIS CONCILIO DEQUE OPERIS UTILITATE.

Antonius Augustinus è Societate Iesu.



VI canones antiquorum conciliorum, epistulasque summorum Pontificum, quas Decretales appellant, iam inde ab ipsis propemodum ecclesie nascentis exordis collegerint, fuisse per multos, eosque viros omni ex parte eruditissimos, cum per se nota res est, tum præfatione ad Gregorium XIII. Pont. Max. libro, quem edidit de antiquis epistularum Decretalium collectionibus, non minus grauer, quam erudite dixerit noster, tum quidem Hierdenis Episcopus, mox vero Tarraconensis Archiepiscopus, Antonius Aug. Nam vt omittam antiquissimos illos, siue è Latinis Isidorum sanctissimum Episcopus, Hispalensem, & alterum etiam Isidorum Hispanum minus notum, sed virum grauem, ac eruditum; & tertium eo notiore cognomento Mercatorem, siue ex Græcis Sabinum Heracleæ Thraciæ Episcopum, ac Ioannem Constantinopolis Patriarcham: insudarunt posterioribus sæculis haud sane infelicitè in hoc negotio, inter eosdem quidem Græcos Photius Constantinopolitanus, Alexius Aristenus Ioannes Zonaras, Mathæus Blastares monachus, Theodotus Balsamon, Cōstantinus Hermanopolus, Arsenius, alique nonnulli: è Latinis vero Martinus Brauarensis, Dionysius Exiguus, Cresconius, Deusdedit presbiter Cardinalis, Gregorius presbyter, cuius collectio Polycarpi inscriptionem præfere, Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, & alij similes. Sed multo feliciter in hoc eodem argumento versati sunt postremi omnium Burchardus Vormatiensis, Iuo Carnotensis, Anselmus Lucensis Episcopi, & qui prioribus omnibus videtur tenebras offudisse, nobilis è sancti Benedicti familia monachus, vir sane in diuino, humanoque iure exercitissimus, Gratianus. Quorsum igitur, dicit quispiam, Tarraconensis noster nouam post tot veteres, tamq; egregias collectionem tentauit? cum præsertim vix plura, quam in illis, in hac nostra esse videantur, vt pote quæ ultra ætatem Innocentij III. non protenditur. Videri enim id cupiam poterit non solum esse actum agere, sed fortasse etiam temere in alienos labores introire. Vere hæc quidè, sapienterq; dicerentur, nisi artes omnes, ac disciplinæ, in quibus tamquam in latissimis campis hominum excurrunt ingenia, adeo longe, lateque patereut, vt ad infinitatem propemodum quandam accederent: quo fit, vt priorum inuenta scriptorum nunquam posteriorum industria retardarint, quo minus in iisdem illis, hi disciplinis tractandis versarentur, si minus æquali cum gloria, certe cum utilitate, fructuque non vulgari. Scite enim quod Latina præcepta eloquentiæ de præstantissimis duobus philosophis dixit, Aristotelem è scribendo non fuisse deterritum Platonis amplitudine: At qualis quantusque Plato, Deus immortalis longe omnium, quicumque aut scripserunt, vtilis idem ait, aut locuti sunt, & copia dicendi, & grauitate princeps. Quod, inquam, de his ille dixit, hoc idem & de Theophrasto Aristotelis discipulo dicere possumus, non fuisse deterritum subtilitate, atque auctoritate magistri, quin cum de alijs, tum de iisdem ipsis interdum rebus tam grauer, accurateque scriberet, vt magistrum ipsum, quod restantur libri de plantis, superare videretur. Possumus & idem dicere de Theophrasti discipulo Demetrio Phaleræo; quem nec Aristotelis, nec Theophrasti præstantia retardauit, quin eadem res ipsas, cum quæstiones philosophicas, tum de arte dicendi præcepta suis monumentis consignaret, in quibus illi ante elaborauerant. Nam, vt ait Poëta ille: Non si priores Mæonius tenet sedes Homerus, Pindaricæ latent, Cæque, & Alexi minaces, Stesichorique graves canonæ. Sine enim suam quis in scribendo spectet gloriam, prudentis, cordatisque hominis semper est habitam, prima spectantem in secundis saltem posse consistere; siue neglecta sua gloria spectarint ij posteriorum tantum utilitatem; quod de nostro Antonio Augustino & vere, & ingenue affirmare possumus: excogitauerunt posteriores sæpe per multa, cum humani generis utilitate coniuncta, quæ prioribus in mentem minime venerunt. Ac ne recedam ab hac ipsa re,

ANTONII AVGVSTINI
ARCHIEPISC. TARRACON.

Iuris Pontificij veteris Epitome.

EIVS PARTES SVNT TRES.

In prima agitur de Personis.

In secunda de Rebus.

In tertia de Iudiciis.

LIBER PRIMVS.
DE PONTIFICE MAXIMO.

De Petri Apostoli, & successorum Romanorum
Pontificum Primatu. TIT. I.

CAPVT PRIMVM.

EGO dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Et tibi dabo clauas Regni cælorum: Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. *Christ. apud Matib. c. 16.*

CAP. II.

Cum prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia scis, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. *1. Ioan. c. ult.*

CAP. III.

Sanctissimus, ac Beatissimus Papa, caput vniuersalis Ecclesie Leo, per nos, vt Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præcitus dignitate, qui Ecclesie fundamentum, & petra fidei, & cælestis Regni ianitor nuncupatur, Episcopali (*Distorum*) dignitate nudaui. *Paschasius, & alij in Chiale. Syn. ult. 16. post epist. Marciiani Imperi.*

CAP. IV.

Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps. Illius enim imitorem, & sedis successorem habuimus sanctorem, & diuini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras, &c. Per Agathonem Petrus loquebatur, &c. *6. Syn. ult. 13. in fine.*

CAP. V.

Ait Dominus ad Petrum Apostolorum principalissimam summitatem: Tu es Petrus,

& super hanc petram edificabo Ecclesiam *Mat. 16* meam. *Epistola concilia Synodi S. C. P. sub Hadriano 11. post princ. ult. 2.*

CAP. VI.

Nos omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apost. Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignè Deus ligandi, atque soluendi consulit potestatem, omnibus, qui laborem propriis personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confessi, veniam indulgemus. *1. No. 111. in Diff. 21. Cons. gen. Later. c. ult.*

CAP. VII.

Quamuis vniuersæ per orbem Catholice Ecclesie vnus thalamus Christi sit: sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia, nullis Synodicis constitutis, ceteris Ecclesiis prælata est: sed Evangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, &c. & portæ, &c. & tibi dabo, &c. & quæcumque, &c. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæretici gartunt, sed vno tempore, vno, eodemque die gloriosa morte cum Petro, in urbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est: & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrauerunt, talisque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulērūt. Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiusmodi. *Gelas. & 70. in Synodo Rom. in prin. Burchardus Formacren. Episcopus lib. 3. cap. 220: Tuo Carnot. Episc. lib. 4. tit. 1. c. 3. Panar. Ansel. Lucen. Episc. lib. 1. c. 68. & 69. Decreti sive authent. canon. Tarracón. lib. 1. c. 295.*

CAP. VIII.

Interdicimus in nomine Domini Iesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Principis Apostolorum prohibemus, cuius vice huic sanctæ

A